



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Ludicra tollenda. 47

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

libidini ita vacent sicut equus & mulus in quibus non est intellectus, dæmonium malum dominatur. Quamobrem vehementer comprobamus illum morem, quo, Matrimonio jungendi, ante Ecclesiasticam conjunctionem jejunio se præparant, & sacram Eucharistiam sumunt.

CAP. XLII. *Matrimonium tria completi.*

Ang. de Genesi ad literam lib. 9. c. 7. tom. 3.

Docendi itaque breviter, Matrimonium tria completi, fidem, prolem, & Sacramentum. In fide attenditur, ne, præter vinculum conjugale, cum altera vel altero concubatur. in prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur. in Sacramento autem, ne conjugium separetur, neve dimissus aut dimissa, etiam prolis causa, alteri conjugatur.

CAP. XLIII. *Pium votum, & in clandestine contrahentes censura.*

Ex Can. non. Eugen. risti.

Optandum, ut Canon Euaristi Pontificis Concilio generali renovetur, tollanturque illa clandestina matrimonia, quæ, in vitis parentibus ac propinquis, Veneris potius quam Dei causa contrahuntur. Nam quanta ex his clandestinis matrimoniis mala suboriantur, in aperto est. Interea vero, donec Ecclesia de hoc prospiciat, si non irrita, prohibita saltem sint; & pænæ Canonice, hoc est, excommunicationi, contrahentes & qui his ope aut consilio adfuerint, subjaceant: quam nec tam facile, nisi Ecclesiæ satisfiat, tolli, admodum expedire, Nobis videtur. Quantum fieri potest, cavebit Parochus, ne liberos citra parentum auctoritatem conjugat. Quod si parentes negligentes fuerint, aut, in admittendo matrimonio jam contracto, rigidiores negatores; admonebit eos, ut liberos maturæ ætatis elocent, neve vinculo, jam per Ecclesiam indissolubili, pertinacius oblucentur.

CAP. XLIV. *Conjunctio conjugum in facie Ecclesiæ peragenda.*

I Cor. II.

Conjunctionem, per Sacerdotem, cum benedictione sacerdotali ac precibus, inter Missarum solemniam in templo secundum antiquos Canones & Ecclesiasticum ritum fieri, decernimus. Superbia ac fastu tumidis, qui in privatis domiciliis malunt quam in templo, ubi Ecclesia convenit ac jungendis bene precatur, copulari, quis non inepte opposuerit illud Paulinum: Num Ecclesiam Dei contemnit? Nec Sacerdos antè quoslibet conjugat, nisi edictis aut proclamationibus tribus, publice è suggesto ad populum factis,

præcedentibus, ob multas ac varias fraudes evitandas. Contra hæc haud facile, sed tantum ubi ratio admodum necessaria hoc ipsum fieri postulaverit, idque non nisi causa cognita, dispensabitur.

CAP. XLV. *Peregrinos & ignotos, sine legitimo testimonio, non conjugendos.*

Peregrini & ignoti non conjugantur, nisi legitimis testimoniis doceant, se, ubi ante versati fuerint, nullis matrimonii vinculis adstringi, ipsisque per suum Parochum licere, per alium Parochum copulari.

CAP. XLVI. *In gradibus consanguinitatis ac affinitatis, Concilium generale observandum.*

Quod ad gradus consanguinitatis ac affinitatis attinet, qui matrimonium contrahendum ac contractum dirimunt, decretum Concilii generalis observabitur. Hic si Parochi in dinumeratione graduum addubitaverint, peritiores consulent. Vbi Romanus Pontifex dispensatorio diplomate matrimonium, secus contractum, approbandum jusserit, examinentur causæ diligentius, quæ dispensationem extorserunt. Quæ si comperiantur aliter, quam narratum est, se habere, non dubium est, dispensationem nullius roboris esse.

Ex Conc. gener. c. non debet. de consan. & affi.

CAP. XLVII. *Ludicra tollenda.*

Ludicra illa, quæ in templis post conjunctionem Sacerdotalem fieri consueverunt, veluti in pulsando sponso, atque alia ejusdem generis, penitus tollantur. Nam res seria, quam Deus ipse instituit, benedixit, in violabilemque decrevit, agitur.

CAP. XLVIII. *De sacro Ordine dictum esse prius.*

De sacro Ordine, & quæ salutaris gratia hoc Sacramento conferatur, quæ denique in eodem Sacramento conferendo observari oporteat; titulo primo, qui de munere Episcopali est, abunde diximus.

CAP. XLIX. *Cur adhibeatur Extrema unctio.*

Restat Extrema unctio, quæ (quoniam in morte extrema lucta est) adhibetur, ut vel convalescat ægrotus, si Deo ita visum, vel fide bonaque spe obdormiat in Domino.